



Bernhardus ex illustri familia Burggrauiorū
Magdēburgensiū natus est. Is à teneris annis
optimis literis imbutus, atq; multis uirtutibus e-
ducatus fuit. Cum itaq; eo tēpore Halberstaten-
sis pastor mortuus esset, communibus suffragijs
Bernhardus adhuc iuuenis ob foelicem indolē-
7. Episcopus electus est. hāc etiam Ecclesiā summa
fide & diligentia optimè administrauit. Eo tēpo-
re Otto primus Romanum Imperiū gubernauit.
Cum aut̄ is Magdenburgi Archiepiscopatum eri-
gere, atq; multis prædijs ditare cuperet, Bernhar-
dus uehemēter restitit, dicens in tot Episcopatuū
uicinitate plures contentiones paulatim prouen-

turas, dum quisq; alterius bona ad sese rapere studeret. Itaq; à Cæsare captus,
atq; in carcerem inclusus fuit. Cum aut̄ Pascatis festum esset, à Cæsare petijt ut
eo die sacris officijs interesse, atq; quædam cum eo conferre posset. Id quod
Otto facile concessit, sperans ipsum à sua sententia decessurum. Verūm is so-
lenni habitu ornatus coram Cæsare comparuit, & ipsum excōmunicauit. Cæ-
sar ab initio cum insanum putabat. Verūm cum is constanter perseueraret, ip-
sum liberauit, & in Halberstat liberum reduxit.